



Europa Latina

De somniis



Bodleian Library, ms. Canon. Class. Lat. 257, 1v

SEMINARIUM habendum

in pago c.n. Caravate

in agro Baretino

diebus 10-13 mensis Octobris, a. 2024

Textus aditialis

0. De somniorum figuris et nominibus

Macrob., *In somnium Scipionis commentarii* 3

[1] His praelibatis antequam ipsa somnii uerba tractemus, prius quot somniandi modos obseruatio deprehenderit, cum licentiam figurarum quae passim quiescentibus ingeruntur sub definitionem ac regulam uetustas mitteret, edisseramus, ut cui eorum generi somnium quo de agimus applicandum sit innotescat. [2] Omnium quae uidere sibi dormientes uidentur **quinque** sunt principales et diuersitates et **nomina**. Aut enim est

ὄνειρος secundum Graecos quod Latini **somnium** uocant,

aut est **ὄραμα** quod **uisio** recte appellatur,

aut est **χρηματισμός** quod **oraculum** nuncupatur,

aut est **ἐνύπνιον** quod **insomnium** dicitur,

aut est **φάντασμα** quod Cicero, quotiens opus hoc nomine fuit, **uisum** uocauit.

[3] Vltima ex his duo cum uidentur, cura interpretationis indigna sunt, quia nihil diuinationis apportant, ἐνύπνιον dico et φάντασμα.

[4] Est enim **ἐνύπνιον** quotiens cura oppressi animi corporisue siue fortunae, qualis uigilantem fatigauerat, talem se ingerit dormienti: animi, si amator deliciis suis aut fruentem se uideat aut carentem, si metuens quis imminentem sibi uel insidiis uel potestate personam aut incurrisse hanc ex imagine cogitationum suarum aut effugisse uideatur; corporis, si temeto ingurgitatus aut distentus cibo uel abundantia praefocari se aestimet uel grauantibus exonerari, aut contra si esuriens cibum aut potum sitiens desiderare, quaerere, uel etiam inuenisse uideatur; fortunae, cum se quis aestimat uel potentia uel magistratu aut augeri pro desiderio aut exui pro timore. [5] Haec et his similia, quoniam ex habitu mentis quietem sicut praeuenerant ita et turbauerant dormientis, una cum somno auolant et pariter euanescunt. Hinc et insomnio nomen est, non quia per somnium uidetur — hoc enim est huic generi commune cum ceteris —, sed quia in ipso somnio tantummodo esse creditur dum uidetur, post somnium nullam sui utilitatem uel significationem relinquit.

[6] **Falsa esse insomnia** nec Maro tacuit:

sed falsa ad caelum mittunt insomnia manes,

caelum hic uiuorum regionem uocans quia, sicut di nobis, ita nos defunctis superi habemur. Amorem quoque describens, cuius curam semper sequuntur insomnia, ait:

... haerent infixi pectore uultus

uerbaque, nec placidam membris dat cura quietem,

et post haec:

Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent?

[7] **Φάντασμα** uero, hoc est uisum, cum inter uigiliam et adultam quietem in quadam, ut aiunt, prima somni nebula adhuc se uigilare aestimans qui dormire uix coepit aspicere uidetur irruentes in se uel passim uagantes formas a natura seu magnitudine seu specie discrepantes uariasque tempestates rerum uel laetas uel turbulentas. In hoc genere est et ἐπιάλτης, quem publica persuasio quiescentes opinatur inuadere et pondere suo pressos ac sentientes grauare.

[8] His duobus modis ad nullam noscendi futuri opem receptis, tribus ceteris in ingenium diuinationis instruimur. Et est oraculum quidem cum in somnis parens uel alia sancta grauisque persona seu sacerdos uel etiam deus aperte euenturum quid aut non euenturum, faciendum uitandumue denuntiat.

[9] **Visio** est autem cum id quis uidet quod eodem modo quo apparuerat eueniet. Amicum peregre commorantem quem non cogitabat uisus sibi est reuersum uidere, et procedenti obuius quem uiderat uenit in amplexus. Depositum in quiete suscepit et matutinus ei precator occurrit mandans pecuniae tutelam et fidae custodiae celanda committens.

[10] **Somnium proprie** uocatur quod tegit figuris et uelat ambagibus non nisi interpretatione intellegendam significationem rei quae demonstratur, quod quale sit non a nobis exponendum est, cum hoc unusquisque ex usu quid sit agnoscat. Huius quinque sunt species: aut enim proprium aut alienum aut commune aut publicum aut generale est. [11] Proprium est, cum se quis facientem patientemue aliquid somniat, alienum cum alium, commune cum se una cum alio; publicum est, cum ciuitati foroue uel theatro seu quibuslibet publicis moenibus actibusue triste uel laetum quid aestimat accidisse; generale est, cum circa solis orbem lunaremue globum seu alia sidera uel caelum omnesue terras aliquid somniat innouatum.

[12] Hoc ergo quod Scipio uidisse se rettulit et tria illa quae sola probabilia sunt genera principalitatis amplectitur, et omnes ipsius somnii species adtingit. Est enim oraculum, quia Paulus et Africanus uterque parens, sancti grauesque ambo nec alieni a sacerdotio, quid illi euentum esset denuntiauerunt. Est uisio, quia loca ipsa in quibus post corpus uel qualis futurus esset aspexit. Est somnium, quia rerum quae illi narratae sunt altitudo, tecta profunditate prudentiae, non potest nobis nisi scientia interpretationis aperiri.

[13] Ad ipsius quoque somnii species omnes refertur: est proprium, quod ad supera ipse perductus est et de se futura cognouit; est alienum, quod quem statum aliorum animae sortitae sintprehendit; commune, quod eadem loca tam sibi quam ceteris eiusdem meriti didicit praeparari; publicum, quod uictoriam patriae et Carthaginis interitum et Capitolinum triumphum ac sollicitudinem futurae seditionis agnouit; generale, quod caelum caelique circulos conuersionisque concentum, uiuo adhuc homini noua et incognita, stellarum etiam ac luminum motus terraeque omnis situm suspiciendo uel despiciendo concepit.

[14] Nec dici potest non aptum fuisse Scipionis personae somnium quod et generale esset et publicum quia necdum illi contigisset amplissimus magistratus, immo cum adhuc, ut ipse dicit, paene miles haberetur. Aiunt enim non habenda pro ueris de statu ciuitatis somnia nisi quae rector eius magistratusue uidisset, aut quae de plebe non unus sed multi similia somniassent. [15] Ideo apud Homerum, cum in concilio Graecorum Agamemnon somnium quod de instruendo proelio uiderat publicaret, Nestor, qui non minus ipse prudentia quam omnis iuuenta uiribus iuuat exercitum, concilians fidem relatis: «De statu, inquit, publico credendum regio somnio, quod, si alter uidisset, repudiaremus ut futile.» [16] Sed non ab re erat ut Scipio, etsi necdum adeptus tunc fuerat consulatum nec erat rector exercitus, Carthaginis somniaret interitum cuius erat auctor futurus audiretque uictoriam beneficio suo publicam, uideret etiam secreta naturae, uir non minus philosophia quam uirtute praecellens.

[17] His adsertis, quia superius falsitatis insomniorum Vergilium testem citantes, uersus fecimus mentionem eruti de geminarum somnii descriptione portarum, si quis forte quaerere uelit cur porta ex ebore falsis et e cornu ueris sit deputata, instruetur auctore Porphyrio, qui in commentariis suis haec in eundem locum dicit ab Homero sub eadem diuisione descriptum: [18] «Latet, inquit, omne uerum. Hoc tamen anima cum ab officiis corporis somno eius paululum libera est, interdum aspicit, nonnumquam tendit aciem nec tamen peruenit, et, cum aspicit, tamen non libero et directo lumine uidet, sed interiecto uelamine, quod nexus naturae caligantis obducit.» [19] Et hoc in natura esse idem Vergilius asserit, dicens:

aspice —namque omnem quae nunc obducta tuenti
mortales hebetat uisus tibi et umida circum
caligat nubem eripiam. ...

[20] Hoc uelamen cum in quiete ad uerum usque aciem animae introsipientis admittit, de cornu creditur, cuius ista natura est ut tenuatum uisui peruium sit; cum autem a uero hebetat ac repellit obtutum, ebur putatur, cuius corpus ita natura densetum est ut ad quamuis extremitatem tenuitatis erasum nullo uisu ad ulteriora tendente penetretur.

Phraseologia minima de somniis

per somnum, in somnis (*Div.* 1.24.49)

per quietem, in quiete (*Suet. Caes.* 81; *Liv.* 8.6.9)

in somnis videre aliquid vel speciem (*Div.* 1.28.58; *Nat.* 1.82)

somnia videre (*Cic. Div.* 2.71.147)

somnium verum evadit (*Div.* 2.53.108)

somnium interpretari (*Div.* 1.23.40)

somniorum interpres, coniector (*Div.* 1.38.132). somniare de aliquo (*Cic.*)

somnium ad verbum cum re convenit (*Div.* 1.44)

in quiete alicui visa species alicuius rei (*Liv.* 8.6)

per nocturnas species (*Liv.* 26.19)

mirum atque inscitum somniavi somniare (*Plaut. Rud.* 3.1.5)

totas noctes somniare (*Cic. Div.* 2.59.121)

(depon. somnior *Apul. Met.* 3.22; 8.12; *Petr.* 74.14)

1. Plin., Ep., 1.18

C. PLINIUS SUETONIO TRANQUILLO SUO S.

1. Scribis te perterritum somnio vereri ne quid adversi in actione patiaris, rogas ut dilationem petam, et pauculos dies, certe proximum, excuse. Difficile est, sed experiar, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ . . . διός ἐστιν. 2. Refert tamen, eventura soleas an contraria somniare. Mihi reputanti somnium meum istud, quod times tu, egregiam actionem portendere videtur. 3. Susceperam causam Iuni Pastoris, cum mihi quiescenti visa est socrus mea advoluta genibus ne agerem obsecrare; et eram acturus adulescentulus adhuc, eram in quadruplici iudicio, eram contra potentissimos civitatis atque etiam Caesaris amicos, quae singula excutere mentem mihi post tam triste somnium poterant. 4. Egi tamen λογισάμενος illud εἰς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Nam mihi patria, et si quid carius patria, fides videbatur. Prospere cessit, atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa ianuam famae patefecit. 5. Proinde dispice an tu quoque sub hoc exemplo somnium istud in bonum vertas; aut si tutius putas illud cautissimi cuiusque praeceptum 'Quod dubites, ne feceris', id ipsum rescribe. 6. Ego aliquam stropham inveniam agam-que causam tuam, ut istam agere tu cum voles possis. Est enim sane alia ratio tua, alia mea fuit. Nam iudicium centumvirale differri nullo modo, istuc aegre quidem sed tamen potest. Vale.

Phraseologia (eodem, quo textus, ordine procedit)

vereri ne quid adversi in actione patiamur

aliquid adversi pati

rogare ut

dilationem petere

pauculos dies, certe proximum, excusare

Difficile est, sed experiar

Refert tamen, an

Mihi reputanti

advolutus genibus

excutere mentem alicui

Prospere cessit

ianuam famae patefacere

dispicere an

sub hoc exemplo

in bonum vertere

alia ratio tua, alia mea

aegre quidem sed tamen posse.

2 . De somniis principe dignis

Suet., *Vita Divi Iuli* 7

Etiam confusum eum somnio proximae noctis (nam visus erat per quietem stuprum matri intulisse) coniectores ad amplissimam spem incitaverunt arbitrium terrarum orbis portendi interpretantes, quando mater, quam subiectam sibi vidisset, non alia esset quam terra, quae omnium parens haberetur.

Suet., *Vita Divi Iuli* 81

Sed Caesari futura caedes evidentibus prodigiis denunciata est. Paucos ante menses, cum in colonia Capua deducti lege Iulia coloni ad extruendas villas vetustissima sepulcra dissicerent idque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiabant, tabula aenea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuae sepultus, inventa est conscripta litteris verbisque Graecis hac sententia: quandoque ossa Capiis detecta essent, fore ut illo prognatus manu consanguineorum necaretur magnisque mox Italiae cladibus vindicaretur. Cuius rei, ne quis fabulosam aut commenticiam putet, auctor est Cornelius Balbus, familiarissimus Caesaris. Proximis diebus equorum greges, quos in traiciendo Rubiconi flumini consecrarat ac vagos et sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere ubertimque flere. Et immolantem haruspex Spurinna monuit, caveret periculum, quod non ultra Martias Idus proferretur. Pridie autem easdem Idus avem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianae curiae se inferentem volucres varii generis ex proximo nemore persecutae ibidem discerpserunt. Ea vero nocte, cui inluxit dies caedis, et ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, alias cum Iove dextram iungere; et Calpurnia uxor imaginata est conlabi fastigium domus maritumque in gremio suo confodi; ac subito cubiculi fores sponte patuerunt. Ob haec simul et ob infirmam valitudinem diu cunctatus an se contineret et quae apud senatum proposuerat agere differret, tandem Decimo Bruto adhortante, ne frequentis ac iam dudum opperientis destitueret, quinta fere hora progressus est libellumque insidiarum indicem ab obvio quodam porrectum libellis ceteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit. Dein pluribus hostiis caesis, cum litare non posset, introiit curiam spreta religione Spurinnamque irridens et ut falsum arguens, quod sine ulla sua noxa Idus Martiae adessent: quanquam is venisse quidem eas diceret, sed non praeterisse.

Suet., *Vita Divi Augusti* 91

Somnia neque sua neque aliena de se neglegebat. [...] Ipse per omne ver plurima et formidulosissima et vana et irrita videbat, reliquo tempore rariora et minus vana.

3 . De vaticinio per somnium praenuntiatum

Gell., XV.XVIII.

Quod pugna belli civilis victoriaque Gai Caesaris, quam vicit in Pharsaliis campis, nuntiata praedictaque est per cuiuspiam sacerdotis vaticinium eodem ipso die in Italia Patavi.

I. Quo C. Caesar et Cn. Pompeius die per civile bellum signis conlatis in Thessalia conflixerunt, res accidit Patavi in transpadana Italia memorari digna.

II. Cornelius quidam sacerdos et loco nobilis et sacerdotii religionibus venerandus et castitate vitae sanctus repente mota mente conspicer se procul dixit pugnam acerrimam pugnari ac deinde alios cedere, alios urgere, caedem, fugam, tela volantia, instaurationem pugnae, inpressionem, gemitus, vulnera, proinde ut si ipse in proelio versaretur, coram videre sese vociferatus est ac postea subito exclamavit Caesarem vicisse.

III. Ea Cornelii sacerdotis hariolatio levis tum quidem visa et vecors, magnae mox admirationi fuit, quoniam non modo pugnae dies, quae in Thessalia pugnata est, neque proelii exitus, qui erat praedictus, idem fuit, sed omnes quoque pugnandi reciprocae vices et ipsa exercituum duorum conflictatio vaticinantis motu atque verbis repraesentata est.

acerrimam < **acer**, -ris, -e 1 de animantium vi agendi a *de ipsis hominibus i.q.* audax crudelis, vehemens b de facultatibus animi c de sensibus d de sagacibus bestiis 2 de rerum vi afficiendi i.q. gravis, vehemens

admirationi < **admiratio**, -nis 1 affectus venerantis vel reverentis a *abs.* b *c.gen.subi.* c *c.gen. obi.* 2 affectus obstupescens a *abs.* b *c.gen.subi.* c *c.gen. rei mirabilis*

caedem < **caedes**, -is 1 proprie i.q. occisio cum singulorum, tum multorum cum gen.obi. 2 metonym. a) i.q. cruor b) certamen, pugna

cedo < cedo, -ssi, -ssum, -dere abs. abeo, fugio

conflictatio, acies, certamen, pugna, proelium,

conspicere conspicio, -spexi, -spectum, -spicere 1 i.q. video, conspicio a) *c.acc.*; b) *interdum vergit in notionem cognoscendi; c.duobus acc. (passive c.duobus nom.) vergit in notionem habendi seu putandi = censere alqm alqd esse;* c) *c. acc. c.inf. (passive nom.c.inf.) i.q. intellego c.acc.c.inf.*

coram praep.c.abl. i. ante, apud (de iis quae in praesentia, in conspectu alicuius fiunt)

exitus -us a) i.q. actio exeundi; b) i.q. locus exeundi i) generatim ii) speciatim de ostio fluminis; c) i.q. eventus i) c. gen. ii) nude; d) i.q. finis

hariolatio

impressio, -nis 1 c.gen. i.q. actio imprimendi; 2 abs. i.q. actio appropinquandi

instaurationem < **instauro**, -avi 1 i.q. innovo, reparo; 2 i.q. praeparo, adorno

levis –e: 1 sensu strictiore de parvo pondere; 2 sensu latiore a) i.q. debilis, non firmus, b) i.q. agitabilis, mutabilis, c) i.q. parvus, exiguus, d) i.q. non gravis.

loco < locus, -i A 1) sensu strictiore i) *de situ vel positione* 1) generatim a) c. gen. b) nude; 2) speciatim a) de locis religiosis b) in re militari de statione; B *de spatio* sensu latiore a) *spectat ad narrationis ordinem* b) *spectat ad honores* i) c.gen, ii) nude; 3) *spectat ad originem* i) c. gen. ii) sine gen.; 4) *periphrastice fere i.q.* vice pro c. gen. i) in locum ii) loco; 5) *spectat ad copiam, facultatem, potestatem* i) c.gen., ii) abs.

mox: deinde, postea 1 solum ponitur 2 in enumeratione a) primus, primum, primo, imprimis.....mox b) prius....mox c) paulo ante...mox d) hinc...mox....post haec

proinde idcirco, itaque, propterea

urgere < **urgeo**, -si, -gere 1 proprie a) sensu hostili i.q. insto, premo i) c.acc. ii) c.acc. et abl. iii) abs. b) i.q. cogo, impello, incito c) i.q. illicio d) i.q. accelero e) de igne; *translate* **urgens**, -tis i. qui urget, instans

vaticinantis < **vaticinor**, -atus sum, -ari i.q. praedico (futura)

vecors -dis i.q. vesanus, demens, furiosus

versaretur versor, -aris, versatus sum –ari a) sum (in quodam loco), frequens alicubi sum, dego, vivo b) manifestus fio

vices < **vicis** gen. sing. f. 1) i.q. vicissitudo, alternatio a) c.gen. b) sine gen. 2) i.q. iteratio 3) i.q. condicio, casus 4) i.q. ministerium, munus, officium 5) i.q. repensatio;

vociferor, -atus sum, -ari i.q. vehementer exclamo, magna voce clamo 1) sequitur ut 2) sequitur acc. c.inf. 3) sequitur acc. 4) abs.

4. Cic. *Div.* 1.63 (De origine somniorum)

[63] cum ergo est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura praevidet; iacet enim corpus dormientis ut mortui, viget autem et vivit animus. quod multo magis faciet post mortem, cum omnino corpore excesserit. itaque appropinquante morte multo est divinior. nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem; itaque eis occurrunt plerumque imagines mortuorum, tumque vel maxime laudi student; eosque, qui secus quam decuit, vixerunt, peccatorum suorum tum maxime paenitet.

5. Cic. *Div.* 1.46 (De interpretatione somniorum)

46 Age nunc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor et discipulus Platonis, visam esse videre in somnis simulacra deorum, quae ipsa domi consecrasset; ex iis Mercurium e patera, quam dextera manu teneret, sanguinem visum esse fundere; qui cum terram attigisset, refervescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. Quod matris somnium immanis filii crudelitas comprobavit. Quid ego, quae magi Cyro illi principi interpretati sint, ex Dinonis Persicis fibris proferam? Nam cum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra adpetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur et abiret; ei magos dixisse, quod genus sapientium et doctorum habebatur in Persis, ex triplici adpetitione solis triginta annos Cyrum regnatum esse portendi. Quod ita contigit; nam ad septuagesimum pervenit, cum quadraginta natus annos regnare coepisset.

6. Cic. *Div.* 2.134 (Quid significet ovum in somniis)

134 Defert ad coniectorem quidam somniasse se ovum pendere ex fascea lecti sui cubicularis (est hoc in Chrysippi libro somnium); respondit coniectore thesaurum defossum esse sub lecto. Fodit, invenit auri aliquantum, idque circumdatum argento; misit coniectori quantum visum est de argento. Tum ille “Nihilne” inquit “de vitello?” Id enim ei ex ovo videbatur aurum declarasse, reliquum argentum. Nemone igitur umquam alius ovum somniavit? Cur ergo hic nescio qui thesaurum solus invenit? Quam multi inopes digni praesidio deorum nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur! Quam autem ob causam tam est obscure admonitus, ut ex ovo nasceretur thesauri similitudo, potius quam aperte thesaurum quaerere iuberetur, sicut aperte Simonides vetitus est navigare? Ergo obscura somnia minime consentanea maiestati deorum.

7. Cic. *Clu.* 63-64

63. [176] post mortem eius Sassia moliri statim, nefaria mulier, coepit insidias filio; quaestionem habere de viri morte constituit. emit de A. Rupilio quo erat usus Oppianicus medico Stratonem quendam, quasi ut idem faceret quod habitus in emendo Diogene fecerat. de hoc Stratone et de Ascla quodam servo suo quaesituram esse dixit. praeterea servum illum Nicostratum quem nimium loquacem fuisse ac nimium domino fidelem arbitrabatur ab hoc adolescente Oppianico in quaestionem postulavit. hic cum esset illo tempore puer et illa quaestio de patris sui morte constitui diceretur, etsi illum servum et sibi benivolum esse et patri fuisse arbitrabatur, nihil tamen est ausus recusare. advocantur amici et hospites Oppianici et ipsius mulieris multi, homines honesti atque omnibus rebus ornati. tormentis omnibus vehementissimis quaeritur. cum essent animi servorum et spe et metu temptati ut aliquid in quaestione dicerent, tamen, ut arbitror, auctoritate advocatorum adducti in veritate manserunt neque se quicquam scire dixerunt. [177] quaestio illo die de amicorum sententia dimissa est. satis longo intervallo post iterum advocantur. habetur de integro quaestio; nulla vis tormentorum acerrimorum praetermittitur; avversari advocati et iam vix ferre posse, furere crudelis atque importuna mulier sibi nequaquam ut sperasset ea quae cogitasset procedere. cum iam tortor atque essent tormenta ipsa defessa neque tamen illa finem facere vellet, quidam ex advocatis, homo et honoribus populi ornatus et summa virtute praeditus, intellegere se dixit non id agi ut verum inveniretur sed ut aliquid falsi dicere cogerentur. hoc postquam ceteri comprobarunt, ex omnium sententia constitutum est satis videri esse quaesitum. [178] redditur Oppianico Nicostratus, Larinum ipsa proficiscitur cum suis maerens quod iam certe incolumem filium fore putabat, ad quem non modo verum crimen sed ne ficta quidem suspicio perveniret, et cui non modo aperta inimicorum oppugnatio sed ne occultae quidem matris insidiae nocere potuissent. Larinum postquam venit, quae a Stratone illo venenum antea viro suo datum sibi persuasum esse simulasset, instructam ei continuo et ornatam Larini medicinae exercendae causa tabernam dedit.

64. Vnum, alterum, tertium annum Sassia quiescebat, ut velle atque optare aliquid calamitatis filio potius quam id struere et moliri videretur. [179] tum interim Q. Hortensio Q. Metello consulibus ut hunc Oppianicum aliud agentem ac nihil eius modi cogitantem ad hanc accusationem detraheret invito despondit ei filiam suam, illam quam ex genere susceperat, ut eum nuptiis adligatum simul et testamenti spe devinctum posset habere in potestate. hoc ipso fere tempore Strato ille medicus domi furtum fecit et caedem eius modi. cum esset in aedibus armarium in quo sciret esse nummorum aliquantum et auri, noctu duos conservos dormientis occidit in piscinamque deiecit; ipse armari fundum exsecuit et HS x et auri quinque pondo abstulit uno ex servis puero non grandi conscio. [180] furto postridie cognito omnis suspicio in eos servos qui non comparebant commovebatur. cum exsectio illa fundi in armario animadverteretur, homines⁵ quonam modo fieri potuisset requirebant.

quidam ex amicis Sassiae recordatus est se nuper in auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam ex omni parte dentatam⁶ et tortuosam venire serrulam⁷ qua illud potuisse ita circumsecari⁸ videretur. ne multa, perquiritur a coactoribus, invenitur ea serrula ad Stratonem pervenisse. hoc initio suspicionis orto et aperte insimulato Stratone puer ille conscius pertimuit, rem omnem dominae indicavit; homines in piscina inventi sunt, Strato in vincula coniectus est, atque etiam in taberna eius nummi, nequaquam omnes, reperiuntur.

8. Cic. *Div.* 1.57 (De interfectore per somnium detecto)

57 Alterum ita traditum clarum admodum somnium: cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse, ad hospitem alterum. Qui ut cenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei qui erat in hospitio illum alterum orare ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur; eum primo, perterritum somnio, surrexisse; dein, cum se conlegisset idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse; tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur; se interfectum in plastrum a caupone esse coniectum et supra stercus iniectum; petere, ut mane ad portam adesset, prius quam plastrum ex oppido exiret. Hoc vero eum somnio commotum mane bubulco praesto ad portam fuisse, quaesisse ex eo, quid esset in plaustro; illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse, cauponem re patefacta, poenas dedisse. Quid hoc somnio dici potest divinius?

9. Cic. *Div.* 2.144

144 Quid? ipsorum interpretum coniecturae nonne magis ingenia declarant eorum quam vim consensumque naturae? Cursor ad Olympia proficisci cogitans visus est in somnis curru quadrigarum vehi. Mane ad coniectorem. At ille “Vinces” inquit; “id enim celeritas significat et vis equorum.” Post idem ad Antiphonem. Is autem “Vincare” inquit “necesse est; an non intellegis quattuor ante te cucurrisse?” Ecce alius cursor (atque horum somniorum et talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri; sed ad cursorem redeo): ad interpretem detulit aquilam se in somnis visum esse factum. At ille: “Vicisti; ista enim avi volat nulla vehementius.” Huic eidem Antipho “Baro,” inquit, “victum te esse non vides? Ista enim avis insectans alias avis et agitans semper ipsa postrema est.”

10. Cic. Div. 1.52-53 (De somniis philosophorum)

[52] Sed veniamus nunc, si placet, ad somnia philosophorum. [p. 165]

25. Est apud Platonem Socrates, cum esset in custodia publica, dicens Critoni, suo familiari, sibi post tertium diem esse moriendum; vidisse se in somnis pulchritudine eximia feminam, quae se nomine appellans diceret Homericum quendam eius modi versum:

Tertia te Phthiae tempestas laeta locabit.

Quod, ut est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus (qui vir et quantus!) in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia, quorum eventus mirabiles exstiterunt.

[53] Mentiri Xenophontem an delirare dicemus? Quid? singulari vir ingenio Aristoteles et paene divino ipse errat an alios vult errare, cum scribit Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse, quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur; in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent; ei visum in quiete egregia facie iuvenem dicere fore ut perbrevis convalesceret, paucisque diebus interitum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, et convaluisse Eudemum, et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum; quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse; ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut, cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur.

11. Tac., *Annales* 16.1-3

(1) Inludit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et promissa Caeseili Bassi, qui origine Poenus, mente turbida, nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiae rei traxit, vectusque Romam, principis aditum emercatus, expromit repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniae sed rudi et antiquo pondere lateres quippe praegravis iacere, adstantibus parte alia columnis; quae per tantum aevi occulta augendis praesentibus bonis ceterum, ut coniectura demonstrabat, Dido Phoenissam Tyro profugam condita Carthagine illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret aut reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur.

(2) Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata nec missis per quos nosceret an vera adferrentur, auget ultro rumorem mittitque qui velut paratam praedam adveherent dantur triremes et delectum remigium iuvandae festinationi nec aliud per illos dies populus credulitate, prudentes diversa fama tulere ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur, ab oratoribusque praecipua materia in laudem principis adsumpta est non enim solitas tantum fruges nec confusum metallis aurum gigni, sed nova ubertate provenire terram et obvias opes deferre deos, quaeque alia summa facundia nec minore adulatione servilia fingeant, securi de facilitate credentis.

(3) Gliscebat interim luxuria spe inani consumeanturque veteres opes quasi oblatis quas multos per annos prodigeret quin et inde iam largiebatur; et divitiarum expectatio inter causas paupertatis publicae erat nam Bassus effosso agro suo latisque circum arvis, dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat, sequunturque non modo milites sed populus agrestium efficiendo operi adsumptus, tandem posita vaecordia, non falsa antea somnia sua seque tunc primum elusum admirans, pudorem et metum morte voluntaria effugit quidam vinctum ac mox dimissum tradidere adeptis bonis in locum regiae gazae.

12. Valerii Maximi, *Dict. et fact.* 1. 7

Apud Actium M. Antonii fractis opibus, Cassius Parmensis, qui partes eius secutus fuerat, Athenas confugit. Ubi concubia nocte, cum sollicitudinibus et curis mente sopita in lectulo iaceret, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba et capillo demisso, interrogatumque quisnam esset respondisse: 'Malum genium'. Perterritus deinde tam taetro visu et nomine horrendo, servos inelamavit sciscitatusque est e quem talis habitus aut intrantem cubiculum aut exeuntem vidissent. Quibus affirmantibus neminem illuc accessisse, iterum quieti et somno se dedit: atque eadem animo eius observata est species. Itaque fugato somno, somnium magni ducens, lumen intro ferri iussit puerosque a se discedere vetuit. Inter hanc noctem et supplicium capitis, quo eum Caesar affecit, paululum admodum temporis intercessit.

13. Augustini *Confessiones*, 3.11

Et misisti manum tuam ex alto, et de hac profunda caligine eruisti animam meam, cum pro me fleret ad te mea mater, fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. videbat enim illa mortem meam ex fide et spiritu, quem habebat ex te, et exaudisti eam, domine. exaudisti eam nec despexisti lacrimas eius, cum profluentes rigarent terram sub oculis eius in omni loco orationis eius: exaudisti eam. nam unde illud somnium, quo eam consolatus es, ut vivere mecum cederet et habere mecum eandem mensam in domo? quod nolle coeperat, aversans et detestans blasphemias erroris mei. vidit enim se stantem in quadam regula lignea et venientem ad se iuvenem splendidum hilarem atque arridentem sibi, cum illa esset maerens et maerore confecta. qui cum causas ab ea quaesisset maestitiae suae cotidianarumque lacrimarum (docendi, ut adsolet, non discendi gratia), atque illa respondisset perditionem meam se plangere, iussisse illum, quo secura esset, atque admonuisse, ut adtenderet et videret, ubi esset illa, ibi esse et me. quod illa ubi adtendit, vidit me iuxta se in eadem regula stantem. unde hoc, nisi quia erant aures tuae ad cor eius, o tu bone omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tamquam solum cures, et sic omnes, tamquam singulos? Unde illud etiam, quod cum mihi narrasset ipsum visum, et ego ad id detrahere conarer, ut illa se potius non desperaret futuram esse quod eram, continuo sine aliqua haesitatione: non inquit; non enim mihi dictum est: ubi ille, ibi et tu, sed: ubi tu, ibi et ille. confiteor tibi, domine, recordationem meam, quantum recolo, quod saepe non tacui, amplius me isto per matrem responso tuo, quod tam vicina interpretationis falsitate turbata non est, et tam cito vidit quod videndum fuit -- quod ego certe, antequam dixisset, non videram -- etiam tum fuisse commotum quam ipso somnio, quo feminae piaie gaudium, tanto post futurum, ad consolationem tunc praesentis sollicitudinis tanto ante praedictum est. nam novem ferme anni secuti sunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falsitatis, cum saepe surgere conarer et gravius alliderer, volutatus sum; cum tamen illa vidua casta, pia et sobria, quales amas, iam quidem spe alacrior, sed fletu et gemitu non segnior, non desineret horis omnibus orationum suarum de me plangere ad te, et intrabant in conspectum tuum preces eius, et tamen dimittebas adhuc volvi et involvi illa caligine.

14. *Passio sanctarum Perpetuae et Felicitatis*¹

[7] Post dies paucos, dum uniuersi oramus, subito media oratione profecta est mihi uox et nominaui Dinocraten. et obstipui quod numquam mihi in mentem uenisset nisi tunc, et dolui commemorata casus eius. 2. et cognoui me statim dignam esse et pro eo petere debere. et coepi de ipso orationem facere multum et ingemescere ad dominum. 3. continuo ipsa nocte ostensum est mihi hoc. 4. uideo Dinocraten exeuntem de loco tenebroso ubi et conplures erant, aestuantem ualde et sitientem, sordido cultu et colore pallido; et uulnus in facie eius, quod cum moreretur habuit. 5. hic Dinocrates fuerat frater meus carnalis, annorum septem, qui per infirmitatem facie cancerata male obiit ita ut mors eius odio fuerit omnibus hominibus. 6. pro hoc ergo orationem feceram; et inter me et illum grande erat diastema ita ut uterque ad inuicem accedere non possemus. 7. erat deinde in illo loco ubi Dinocrates erat piscina plena aqua, altiorem marginem habens quam erat statura pueri; et extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. 8. ego dolebam quod et piscina illa aquam habebat et tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset. 9. et experrecta sum, et cognoui fratrem meum laborare. sed fidebam me profuturam labori eius. et orabam pro eo omnibus diebus quousque transiuimus in carcerem castrensem. munere enim castrensi eramus pugnaturi; natale tunc Getae Caesaris. 10. et feci pro illo orationem die et nocte gemens et lacrimans ut mihi donaretur.

[8] Die quo in neruo mansimus, ostensum est mihi hoc. uideo locum illum quem retro uideram et Dinocraten mundo corpore bene uestitum refrigerantem; et ubi erat uulnus uideo cicatricem, 2 et piscinam illam, quam retro uideram, summisso margine usque ad umbilicum pueri; et aquam de ea trahebat sine cessatione. 3. et super marginem fiala aurea plena aqua. et accessit Dinocrates et de ea bibere coepit; quae fiala non deficiebat. 4. et satiatus accessit de aqua ludere more infantium gaudens. et experrecta sum. tunc intellexi translatum eum esse de poena.

¹ Ed.: *la passione di Perpetua e Felicità* Prefazione di E. Cantarella Introduzione, traduzione e note di M. Formisano Testo latino a fronte, BUR, Milano 2008, pp. 96-100.

15. Hieron., *Ep.*, 23.30 *passim* (Ciceronianus es, non Christianus!)

Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis et, quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi propter caelorum me regna castrassem et Hierosolymam militaturus pergerem, bybliothea, quam mihi Romae summo studio ac labore confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras vigiliis, post lacrimas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manibus. Si quando in memet reversus prophetam legere coepissem, sermo horrebat incultus et, quia lumen caecis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens inluderet, in media ferme quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum et sine ulla requie - quod dictu quoque incredibile sit - sic infelicia membra depasta est, ut ossibus vix haererem. Interim parabantur exsequiae et vitalis animae calor toto frigente iam corpore in solo tantum tepente pectusculo palpitabat, curo subito raptus in spiritu ad tribunal iudicis pertrahor, ubi tantum luminis et tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut proiectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus condicionem Christianum me esse respondi. Et ille, qui residebat: 'Mentiris', ait, 'Ciceronianus es, non Christianus; ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum'.

16. Boëthii de Dacia (m. 1284 ca.), *De somniis* (Quae somnia sint praesagia futurorum)²

Ex somniis alia sunt signa futurorum. Et quaedam istorum somniorum in nobis causantur ex causa exteriori, sicut aliquando ex aliqua constellatione, quae alterat medium usque ad corpus dormientis. Ex qua cum in corpore dormientis fit calefactio magna vel modica -- quia parvi motus dormientibus videntur magni, quia anima non est occupata aliis motibus impredientibus istos -- quam cum percipit virtus imaginativa, format idolum conveniens illi passioni, et somniat dormiens se ambulare per ignem. Et si fit fortis infrigidatio in corpore dormientis per viam praedictam causata, cum eam percipit virtus imaginativa, et simul cum hoc aliquando percipit motum, quem facit phantasma ibi prius receptum et in anima conservatum, format idolum istarum rerum coniunctarum modo competentiori quo potest. Hoc enim est de ratione virtutis imaginativae, scilicet formare idolum ad imitationem et similitudinem rei, cuius motum percipit, propter quod et imaginativa dicta est. et tunc somniat dormiens se ambulare per nives et cetera. Expergefactus autem quantum est ex parte ipsius somnii,

² ED: Niels Jørgen Green-Pedersen - Jan Pinborg (ed.) Boethius Dacus *Opera. Topica, opuscula I Quaestiones super librum Topicorum II De aeternitate mundi. De summo bono. De somniis* voll. 2, København 1976. Boët(h)ius de Dacia philosophus exstitit ex Dania oriundus, qui Daci cognomento nuncupatus est propter haud raro inter Daniae et Daciae nomina confusionem factam.

nisi ignorantia somniantis hoc impediat, potest cognoscere praesentem passionem corporis, ad quam sequebatur forma somnialis, quia per effectum possibile est coniecturare de causa. Et per passionem quam cognovit per somnium potest etiam cognoscere constellationem vel aliquid aliud, ex quo illa passio causabatur, propter eandem rationem. Et quia passio corporis, ad quam sequebatur forma somnialis, potest esse causa alicuius futuri effectus in corpore, sicut sanitatis vel infirmitatis, ideo per illam passionem potest somnians cognoscere futuros effectus, quam cognovit per somnium. Ergo per somnium potest futura cognoscere, quorum illa passio est causa.

17. Cic. *Div.* 1.58-59.

Sed quid aut plura aut vetera quaerimus? Saepe tibi meum narravi, saepe ex te audivi tuum somnium: me, cum Asiae pro cos. praeessem, vidisse in quiete, cum tu equo advectus ad quandam magni fluminis ripam provectus subito atque delapsus in flumen nusquam apparuisses, me contremuisse timore perterritum; tum te repente laetum exstitisse eodemque equo adversam ascendisse ripam, nosque inter nos esse complexos. Facilis coniectura huius somnii, mihiq; a peritis in Asia praedictum est fore eos eventus rerum, qui acciderunt. Venio nunc ad tuum.

[59] Audivi equidem ex te ipso, sed mihi saepius noster Sallustius narravit, cum in illa fuga nobis gloriosa, patriae calamitosa in villa quadam campi Atinatis maneres magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arte et graviter dormire te coepisse; itaque, quamquam iter instaret, tamen silentium fieri iussisse se neque esse passum [p. 168] te excitari; cum autem expectatus esses hora secunda fere, te sibi somnium narravisse: visum tibi esse, cum in locis solis maestus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quaerere ex te, quid tristis esses, cumque tu te patria vi pulsum esse dixisses, prehendisse eum dextram tuam et bono animo te iussisse esse lictorique proximo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret, et dixisse in eo tibi salutem fore. Tum et se exclamasse Sallustius narrat reditum tibi celerem et gloriosum paratum, et te ipsum visum somnio delectari. Nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est, ut audivisses in monumento Marii de tuo reditu magnificentissimum illud senatus consultum esse factum referente optumo et clarissimo viro consule, idque frequentissimo theatro incredibili clamore et plausu comprobatum, dixisse te nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.

18. Petrarchae *Fam.* VII 3

FRANCISCUS PETRARCHA SOCRATI SUO S. P. D.

De thesauro quem se invenisse per somnium sibi visus est, et de divitiarum periculo et molestiis.

Hesternae noctis somnium referam tibi. Videbar mihi, incertum unde, nihil enim tale vel cogitare sum solitus vel loqui, videbar, inquam, in agello meo, quem ad fontem Sorgiae habeo, thesaurum invenisse, monetae pervetustae aureae non mediocrem cumulum. Una spatiabamur soli, ut noster est mos. Te itaque confestim evocans, digito rem designo: ambos, ut fit, gaudium stuporque defixerat. Mihi quidem ut eram, memini enim, occurrebat illud Annaei: «*Vitate quaecumque vulgo placent, quae tribuit casus; ad omne fortuitum bonum suspiciosi et pavidi subsistite; et fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortunae quae putatis, insidiae sunt.*» De hoc ergo consultantes, parumper haesitavimus, laeti trepidique. Quid multa? Ultimae insaniae visum est, quod per terras ac maria tantis laboribus tantisque periculis quaeri solet, id oblatum ultro contemnere. Mox certatim oneramur auro, domum clam taciti convehimus, abditis pro tempore quae exportari uno fasce non poterant. Hoc semel, hoc iterum et iterum facimus, et semper avidius: semper enim, ut natura rerum habet, cum pecunia sollicitudo cupiditasque crescebat. Ferit aures interim murmur invisum; secretum nostrum, nulli licet creditum, sponte sua in vulgus eruperat. Nec ita multo post nescio quis maior dominus locorum aderat, vindicans sibi iure thesaurum. Obnitimur. Hinc primum longa et inamoena colloquia, inde lis minaeque; et semper litibus iuncta convicia, illo acriter urgente, nobis indignantibus in nostro reperta nobis eripi propitiae dona fortunae. Mille subinde rerum motus, et mille consilia, nunc matura et cauta, nunc temeraria et acerba; cum iam ad resistendum nos non tam nostra cupiditas, quam inexorabilis adversarii superba durities inflammaret. Iam ab ocio ruris ad urbana negotia; iam a studiis ad arma translati, novis curarum turbinibus agebamur. Iam pro intentione pervigili et inquisitione pulcherrima novarum rerum, pernox odium atque ira successerant. Postremo iam res a litigio ad bellum se verterat. Ita mutatus animorum status, et saepe reperti auri poenitebat. Philosophabamur in insomniis; ubi vitam serenam atque tranquillam liquimus? Quis nobis has curarum superinduxit nubes? Quis in has procellas nos impegit? An ignorabamus in auro speciosam aerumnam, et splendidam esse miseriam? Necessitas cum divitiis crescit, et fugit cum mediocritate felicitas. Occurrebant acervatim exempla eorum, qui, vel in divitiis infelices, vel in paupertate felicissimi fuissent. Spernebantur inutiles opes Croesi, et funestum Midae aurum, et Dionysii Crassique spolia templis avulsa. Laudabatur Cincinnati, Reguli, Curii, Fabricii felix et gloriosa pauperies. Accedebat acies hominum nostrorum, qui nudi in solitudine, solibusque et frigoribus adusti, radicibus herbarum et silvestribus baccis pasti, pro tecto coelum, terram habentes pro cubiculo, cum voluptate torrentem turbidum hauserunt, asperoque et angusto calle gradientes, spe

patriae melioris omnia prorsus mortalia contempserunt. Caeterum, quo plura huius generis ingerebantur exempla, eo gravius dolebamus, ea non vidisse nos in tempore, sed in tergo (ut aiunt) oculos habuisse. Denique sic eramus, ut iam, ne coepto vellemus absistere, solus cedendi pudor obsisteret. Et iam supremi certaminis instabat alea; cum repente medio noctis, ira metuque anxius expergiscor. Gelidus sudor corpus omne perfuderat. Ita me Divinitas salvum velit, ut ego perinde fessus animi, fessusque membrorum eram, ac si grave durumque negotium, non somnians, sed vigilans, agitassem. Nec facile dici potest quam Imtus fui, ubi sensi me thesauro simul et solitudine liberatum, et tantum habere quantum alit, non quantum angit; quantumque vitae sudicit, non quantum affluit quamque per somnum in ea sententia radicans sum, quam mihi vigilans persuadeo esse verissimam, scilicet, plus mali quam boni cupidis mortalibus afferre divitias. Surrexi demum hora solita consuetudinem meam nosti); dumque, quotidianis laudibus Deo dictis, ex more manum calamo applicuissim; hoc primum, quod sopitum exercuerat sese obtulit experrecto: huius ergo sententia? te participem facio, qui particeps somnii videbaris. Vale. XIX Kal. Februarias ad auroram.

19. Apul., *Met.* 1.11-21

[11] “Mira” inquam “nec minus saeva, mi Socrates, memoras. Denique mihi quoque non parvam incussisti sollicitudinem, immo vero formidinem, iniecto non scrupulo sed lancea, ne quo numinis ministerio similiter usa sermones istos nostros anus illa cognoscat. Itaque maturius quieti nos reponamus et somno levata lassitudine noctis antelucio aufugiamus istinc quam pote longissime.” Haec adhuc me suadente insolita vinolentia ac diuturna fatigatione pertentatus bonus Socrates iam sopitus stertebat altius. Ego vero adducta fore pessulisque firmatis grabatulo etiam pone cardinem supposito et probe adgesto super eum me recipio. Ac primum prae metu aliquantisper vigilo, dein circa tertiam ferme vigiliam paululum conīveo. Commodum quieveram, et repente impulsu maiore quam ut latrones crederes ianuae reserantur immo vero fractis et evolsis funditus cardinibus prosternuntur. Grabatus alioquin breviculus et uno pede mutilus ac putris impetus tanti violentia prosternitur, me quoque evolutum atque excussum humi recidens in inversum cooperit ac tegit.

[12] Tunc ego sensi naturalitus quosdam affectus in contrarium provenire. Nam ut lacrimae saepiculae de gaudio prodeunt, ita et in illo nimio pavore risum nequivi continere de Aristomene testudo factus. Ac dum in fimum deiectus obliquo aspectu quid rei sit grabatuli sollertia munitus opperior, video mulieres duas altioris aetatis; lucernam lucidam gerebat una, spongiam et nudum gladium altera. Hoc habitu Socratem bene quietum circumstetere. Infuit illa cum gladio: “Hic est, soror Panthia, carus Endymion, hic Catamitus meus, qui diebus ac noctibus inludit aetatulam meam, hic qui meis amoribus subterhabitis non solum me diffamat probris verum etiam fugam instruit. At ego scilicet Ulixi astu deserta vice Calypsonis aeternam solitudinem flebo.” Et porrecta dextera meque Panthiae suae demonstrato: “At hic bonus” inquit “consiliator Aristomenes, qui fugae huius auctor fuit et nunc morti proximus iam humi prostratus grabattulo subcubans iacet et haec omnia conspicit, impune se laturum meas contumelias putat. Faxo eum sero, immo statim, immo vero iam nunc, ut et praecedentis dicacitatis et instantis curiositatis paeniteat.”

[13] Haec ego ut accepi, sudore frigido miser perfluo, tremore viscera quatior, ut grabattulus etiam succussu meo inquietus super dorsum meum palpitando saltaret. At bona Panthia: “Quin igitur”, inquit “soror, hunc primum bacchatim discerpimus vel membris eius destinatis virilia desecamus?” Ad haec Meroe - sic enim reapse nomen eius tunc fabulis Socratis convenire sentiebam -: “Immo” ait “supersit hic saltem qui miselli huius corpus parvo contumulet humo,” et capite Socratis in alterum dimoto latus per iugulum sinistrum capulo tenus gladium totum ei demergit et sanguinis eruptionem utriculo admoto excipit diligenter, ut nulla stilla compareret usquam. Haec ego meis oculis aspexi. Nam etiam, ne quid demutaret, credo, a victimae religione, immissa dextera per vulnus illud ad viscera penitus cor miseri contubernalis mei Meroe bona scrutata protulit, cum ille impetu teli

praeseicata gula vocem immo stridorem incertum per vulnus effunderet et spiritum rebulliret. Quod vulnus, qua maxime patebat, spongia offulciens Panthia: “Heus tu” inquit “spongia, cave in mari nata per fluvium transeas.” His editis abeunt <et una> remoto grabattulo varicus super faciem meam residentes vesicam exonerant, quoad me urinae spurcissimae madore perluerent.

[14] Commodum limen evaserant, et fores ad pristinum statum integrae resurgunt: cardines ad foramina residunt, <ad> postes [ad] repagula redeunt, ad claustra pessuli recurrunt. At ego, ut eram, etiam nunc humi proiectus inanimis nudus et frigidus et lotio perlutus, quasi recens utero matris editus, immo vero semimortuus, verum etiam ipse mihi supervivens et postumus vel certe destinatae iam cruci candidatus: “Quid” inquam “me fiet, ubi iste iugulatus mane paruerit? Cui videbor veri similia dicere proferens vera? “Proclamares saltem suppetiatum, si resistere vir tantus mulieri nequibas. Sub oculis tuis homo iugulatur, et siles? Cur autem te simile latrocinium non peremit? Cur saeva crudelitas vel propter indicium sceleris arbitro pepercit? Ergo, quoniam evasisti mortem, nunc illo redi.” Haec identidem mecum replicabam, et nox ibat in diem. Optimum itaque factu visum est anteluculo furtim evadere et viam licet trepido vestigio capessere. Sumo sarcinulam meam, subdita clavi pessulos reduco; at illae probae et fideles ianuae, quae sua sponte reseratae nocte fuerant, vix tandem et aegerrime tunc clavis suae crebra immissione patefiunt.

[15] Et “Heus tu, ubi es?” inquam; “valvas stabuli absolve, antelucio volo ire.” Ianitor pone stabuli ostium humi cubitans etiam nunc semisomnus: “Quid? Tu” inquit “ignoras latronibus infestari vias, qui hoc noctis iter incipis? Nam etsi tu alicuius facinoris tibi conscius scilicet mori cupis, nos cucurbitae caput non habemus ut pro te moriamur.” “Non longe” inquam “lux abest. Et praeterea quid viatori de summa pauperie latrones auferre possunt? An ignoras, inepte, nudum nec a decem palaestritis despoliari posse?” Ad haec ille marcidus et semisopitus in alterum latus revolutus: “Unde autem” inquit “scio an convectore illo tuo, cum quo sero devorteras, iugulato fugae mandes praesidium?” Illud horae memini me terra dehiscente ima Tartara inque his canem Cerberum prorsus esurientem mei prospexisse. Ac recordabar profecto bonam Meroen non misericordia iugulo meo pepercisse, sed saevitia cruci me reservasse.

[16] In cubiculum itaque reversus de genere tumultuario mortis mecum deliberabam. Sed cum nullum alium telum mortiferum Fortuna quam solum mihi grabattulum subministraret, “Iam iam grabattule” inquam “animo meo carissime, qui mecum tot aerumnas exantlasti conscius et arbiter quae nocte gesta sunt, quem solum in meo reatu testem innocentiae citare possum, tu mihi ad inferos festinanti sumministra telum salutare,” et cum dicto restim, qua erat intextus, adgredior expedire ac tigillo, quod fenestrae subditum altrinsecus prominebat, iniecta atque obdita parte funiculi et altera firmiter in nodum coacta ascenso grabattulo ad exitium sublimatus et immisso capite laqueum induo. Sed dum

pede altero fulcimentum quo sustinebar repello, ut ponderis deductu restis ad ingluviem adstricta spiritus officia discluderet, repente putris alioquin et vetus funis dirumpitur, atque ego de alto recidens Socraten - nam iuxta me iacebat - superruo cumque eo in terram devolvor.

[17] Et ecce in ipso momento ianitor introrumpit exserte clamitans: “Ubi es tu qui alta nocte festinabas et nunc stertis involutus?” Ad haec nescio an casu nostro an illius absono clamore expectatus Socrates exsurgit prior et “Non” inquit “inmerito stabularios hos omnes hospites detestantur. Nam iste curiosus dum inopportune irrumpit — credo studio rapiendi aliquid — clamore vasto marcidum alioquin me altissimo somno excussit.” Emergo laetus atque alacer insperato gaudio perfusus et: “Ecce, ianitor fidelissime, comes [et pater meus] et frater meus, quem nocte ebrius occisum a me calumniabaris”, et cum dicto Socraten deosculabar amplexus. At ille, odore alioquin spurcissimi humoris percussus quo me Lamiae illae infecerant, vehementer aspernatur: “Apage te” inquit “fetorem extremae latrinae”, et causas coepit huius odoris comiter inquirere. At ego miser adficto ex tempore absurdo ioco in alium sermonem intentionem eius denuo derivo et iniecta dextra: “Quin imus” inquam “et itineris matutini gratiam capimus?” Sumo sarcinulam et pretio mansionis stabulario persoluto capessimus viam.

[18] Aliquantum processeramus, et iam iubaris exortu cuncta conlustrantur. Et ego curiose sedulo arbitrabar iugulum comitis, qua parte gladium delapsum videram, et mecum: “Vesane,” aio “qui poculis et vino sepultus extrema somniasti. Ecce Socrates integer sanus incolumis. Ubi vulnus? Spongia <ubi>? Ubi postremo cicatrix tam alta, tam recens?” Et ad illum: “Non” inquam “inmerito medici fidi cibo et crapula distentos saeva et gravia somniare autumant: mihi denique, quod poculis vesperi minus temperavi, nox acerba diras et truces imagines obtulit, ut adhuc me credam cruore humano aspersum atque impiatum.” Ad haec ille subridens: “At tu” inquit “non sanguine sed lotio perfusus es. Verum tamen et ipse per somnium iugulari visus sum mihi, nam et iugulum istum dolui et cor ipsum mihi avelli putavi, et nunc etiam spiritu deficior et genua quatuor et gradu titubo et aliquid cibatus refovendo spiritu desidero.” “En” inquam “paratum tibi adest ientaculum”, et cum dicto manticam meam humero exuo, caseum cum pane propere ei porrigo, et “Iuxta platanum istam residamus” aio.

[19] Quo facto et ipse aliquid indidem sumo eumque avide essitantem aspiciens aliquanto intentiore macie atque pallore buxio deficientem video. Sic denique eum vitalis color turbaverat ut mihi prae metu, nocturnas etiam Furias illas imaginanti, frustulum panis quod primum sumpseram quamvis admodum modicum mediis faucibus inhaereret ac neque deorsum demere neque sursum remeare posset. Nam et brevitatis ipsa commeantium metum mihi cumulabat. Quis enim de duobus comitum alterum sine alterius noxa peremptum crederet? Verum ille, ut satis detruncaverat cibum, sitire

inpatienter coeperat; nam et optimi casei bonam partem avide devoraverat, et haud ita longe radices platani lenis fluvius in speciem placidae paludis ignavus ibat argento vel vitro aemulus in colorem. “En” inquam “explere latice fontis lacteo.” Adsurgit et oppertus paululum plenior ripae marginem complicitus in genua adpronat se avidus adfectans poculum. Necdum satis extremis labiis summum aquae rorem attigerat, et iugulo eius vulnus dehiscit in profundum patorem et illa spongia de eo repente devolvitur eamque parvus admodum comitatur cruor. Denique corpus exanimatum in flumen paene cernuat, nisi ego altero eius pede retento vix et aegre ad ripam superiorem adtraxi, ubi defletum pro tempore comitem misellum arenosa humo in amnis vicinia sempiterna contexi. Ipse trepidus et eximie metuens mihi per diversas et avias solitudines aufugi et quasi conscius mihi caedis humanae relictæ patria et lare ultroneum exilium amplexus nunc Aetoliam novo contracto matrimonio colo.”

[20] Haec Aristomenes. At ille comes eius, qui statim initio obstinata incredulitate sermonem eius respuebat: “Nihil” inquit “hac fabula fabulosius, nihil isto mendacio absurdus”, et ad me conversus: “Tu autem” inquit “vir ut habitus et habitudo demonstrat ornatus accedis huic fabulae?” “Ego vero” inquam “nihil impossibile arbitror, sed utcumque fata decreverint ita cuncta mortalibus provenire: nam et mihi et tibi et cunctis hominibus multa usu venire mira et paene infecta, quae tamen ignaro relata fidem perdant. Sed ego huic et credo hercules et gratas gratias memini, quod lepidae fabulae festivitate nos avocavit, asperam denique ac prolixam viam sine labore ac taedio evasi. Quod beneficium etiam illum vectorem meum credo laetari, sine fatigatione sui me usque ad istam civitatis portam non dorso illius sed meis auribus pervecto.”

[21] Is finis nobis et sermonis et itineris communis fuit. Nam comites uterque ad villulam proximam laevorsum abierunt. Ego vero quod primum ingressui stabulum conspicatus sum accessi.

20. VT, Biblia Sacra Vulgata, *Daniel 4*

4 Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo: ² somnium vidi, quod perterrituit me: et cogitationes meae in strato meo, et visiones capitis mei conturbaverunt me. ³ Et per me propositum est decretum ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, et ut solutionem somnii indicarent mihi. ⁴ Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldaei, et aruspices, et somnium narraui in conspectu eorum: et solutionem ejus non indicaverunt mihi, ⁵ donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundum nomen dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: et somnium coram ipso locutus sum. ⁶ Baltassar, princeps ariolorum, quoniam ego scio quod spiritum sanctorum deorum habeas in te, et omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quas vidi, et solutionem earum narra. ⁷ Visio capitis mei in cubili meo: videbam, et ecce arbor in medio terrae, et altitudo ejus nimia. ⁸ Magna arbor, et fortis, et proceritas ejus contingens caelum: aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae. ⁹ Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius: et esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia et bestiae, et in ramis ejus conversabantur volucres caeli: et ex ea vescebatur omnis caro. ¹⁰ Videbam in visione capitis mei super stratum meum, et ecce vigil, et sanctus, de caelo descendit. ¹¹ Clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem, et praecidite ramos ejus: excutite folia ejus, et dispergite fructus ejus: fugiant bestiae, quae subter eam sunt, et volucres de ramis ejus. ¹² Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite, et alligetur vinculo ferreo et aereo in herbis quae foris sunt, et rore caeli tingatur, et cum feris pars ejus in herba terrae. ¹³ Cor ejus ab humano commutetur, et cor ferae detur ei: et septem tempora mutantur super eum. ¹⁴ In sententia vigilum decretum est, et sermo sanctorum, et petitio: donec cognoscant viventes quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem constituet super eum. ¹⁵ Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex: tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus, quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est. ¹⁶ Tunc Daniel, cujus nomen Baltassar, coepit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora: et cogitationes ejus conturbabant eum. Respondens autem rex, ait: Baltassar, somnium et interpretatio ejus non conturbent te. Respondit Baltassar, et dixit: Domine mi, somnium his, qui te oderunt, et interpretatio ejus hostibus tuis sit. ¹⁷ Arborem, quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad caelum, et aspectus illius in omnem terram; ¹⁸ et rami ejus pulcherrimi, et fructus ejus nimius, et esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiae agri, et in ramis ejus commorantes aves caeli: ¹⁹ tu es rex, qui magnificatus es, et invaluisti: et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad caelum, et potestas tua in terminos universae terrae. ²⁰ Quod autem vidit rex vigilem, et sanctum descendere de caelo, et dicere: Succidite arborem, et dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite, et vinciatur ferro et aere in herbis foris, et rore caeli

conspargatur, et cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora mutantur super eum: ²¹ haec est interpretatio sententiae Altissimi, quae pervenit super dominum meum regem, ²² Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et foenum ut bos comedes, et rore caeli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud. ²³ Quod autem praecepit ut relinqueretur germen radicum ejus, id est arboris: regnum tuum tibi manebit postquam cognoveris potestatem esse caelestem. ²⁴ Quam ob rem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. ²⁵ Omnia haec venerunt super Nabuchodonosor regem.

FRANCISCUS PETRARCA SOCRATI SUO S. P. D.

De thesauro quem se invenisse per somnium sibi visus est, et de divitiarum periculo et molestiis.

Hesternae noctis somnium referam tibi. Videbar mihi, incertum unde, nihil enim tale vel cogitare sum solitus vel loqui, videbar, inquam, in agello meo, quem ad fontem Sorgiae¹ habeo, thesaurum invenisse, monetae pervetustae aureae non mediocrem cumulum. Una spatiabamur² soli, ut noster est mos³. Te itaque confestim⁴ evocans, digito rem designo: ambos, ut fit, gaudium stuporque defixerat. Mihi quidem ut eram -memini enim- occurrebat illud Annaei: «Vitate quaecumque vulgo placent, quae tribuit casus; ad omne fortuitum bonum suspiciosi et pavidī subsistite; et fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortunae quae putatis, insidiae sunt.⁵» De hoc ergo consultantes, parumper haesitavimus, laeti trepidique. Quid multa? Ultimae insaniae visum est, quod per terras ac maria tantis laboribus tantisque periculis quaeri solet, id oblatum ultro contemnere. Mox certatim oneramus auro, domum clam taciti convehimus, abditis pro tempore quae exportari uno fasce⁶ non poterant. Hoc semel, hoc iterum et iterum facimus, et semper avidius: semper enim, ut natura rerum habet, cum pecunia sollicitudo cupiditasque crescebat. Ferit aures interim murmur⁷

¹In Sorgiae fluvii -Francogallice Sorgue, Italice Sorgia- "claris dulcibibus frigidis aquis" Petrarca imaginatur Lauram lavantem, ut e cantione CXXVI comperimus.

²Spatiari: ambulare, deambulare, spatium pedibus conficere.

³Cfr Horatianum Sat. I, 19, v 1.

⁴Confestim conjungitur cum verbo festinandi; synonymina: continuo, extemplo, actutum, e vestigio, statim, illico, protenus, mox, subinde...

⁵Ad Lucilium VIII

⁶Fascis, juxta Forcellinium, "lignorum alteriusve rei congeries simul colligata"; juncturae: fasces sarmentorum, lignorum, calamorum, epistolarum.

⁷Murmur, uris, n. Vox onomatopoeica, quae sive ad homines referri potest (verbi gratia in precibus), sive ad reliqua animantia (tigrides), sive ad res inanimas (mare, fluctus).

invisum⁸; secretum nostrum, nulli licet creditum, sponte sua in vulgus eruperat. Nec ita multo post nescio quis maior dominus locorum⁹ aderat, vindicans sibi iure thesaurum. Obnitimur. Hinc primum longa et inamoena colloquia, inde lis minaeque; et semper litibus iuncta convicia; illo acriter urgente, nobis indignantibus, in nostro reperta nobis eripi propitiae dona fortunae. Mille subinde rerum motus, et mille consilia, nunc matura et cauta, nunc temeraria et acerba; cum iam ad resistendum nos non tam nostra cupiditas, quam inexorabilis adversarii superba durities inflammaret. Iam ab otio ruris ad urbana negotia; iam a studiis ad arma translati, novis curarum turbinibus agebamur. Iam pro intentione pervigili et inquisitione pulcherrima novarum rerum, pernox¹⁰ odium atque ira successerant. Postremo iam res a litigio ad bellum se verterat. Ita mutatus animorum status, et saepe reperti auri poenitebat. Philosophabamur in insomniis: Ubi vitam serenam atque tranquillam liquimus? Quis nobis has curarum superinduxit nubes? Quis in has procellas nos impegit? An ignorabamus in auro speciosam aerumnam, et splendidam esse miseriam? Necessitas cum divitiis crescit, et fugit cum mediocritate felicitas. Occurrebant acervatim exempla eorum, qui, vel in divitiis infelices, vel in paupertate felicissimi fuissent. Spernebantur inutiles opes Croesi, et funestum Midae aurum, et Dionysii Crassique spolia templis avulsa¹¹. Laudabatur Cincinnati, Reguli, Curii, Fabricii felix et gloriosa pauperies. Accedebat acies hominum nostrorum¹², qui nudi in solitudine, solibusque et frigoribus adusti, radicibus herbarum et silvestribus baccis pasti, pro tecto

⁸Invisus, a, um adjectivus conjunctus cum verbo invidendi, proprie illum designat quem aequo animo videre nequimus, odiosum, displicentem. Omophonum est verbi a videndo derivati, quod valet "non visum".

⁹Ex lege feudali, ut scriptum legimus in glossario Ducangiano, "dominus maior" seu "principalis" (*Dessus Seigneur*) appellatur "domini capitalis dominus", scilicet ille cui subiectus est *Chef Seigneur* (dominus capitalis) ceterique vassalli. Brevi ut dicamus, ille qui sibi thesaurum vindicans inducitur a Petrarca, erat feudi (locorum eleganter) princeps.

¹⁰Pernox, octis, adj, is qui totam noctem durat: ex. gratia luna, somnus, alea. Contrarius perdius.

¹¹De Dionysio unde Noster sumpserit non constat; testibus enim et Diodoro Siculo et Strabone, Dionysius ad Corsicam navigans, appulit ad navalia Agyllae, quod oppidum Pirgi nominabatur, ubi opulentissimum Lucinae delubrum, quod a Pelasgis aedificatum esse putabatur, magna vi auri (MD talentis!) spoliavit. Crassum autem Iosephus Flavius in Antiquitatibus Judaicis suis refert a templo Hierosolomitano aurum abstulisse ad octo talentum milia.

¹²Hoc est nostrae aetatis: mentionem heremitarum habere videtur.

coelum, terram habentes pro cubiculo, cum voluptate torrentem turbidum hauserunt, asperoque et angusto calle gradientes, spe patriae melioris omnia prorsus mortalia contempserunt. Ceterum, quo plura huius generis ingerebantur exempla, eo gravius dolebamus, ea non vidisse nos in tempore, sed in tergo -ut aiunt- oculos habuisse¹³. Denique sic eramus, ut iam, ne coepto vellemus absistere, solus cedendi pudor obsisteret. Et iam supremi certaminis instabat alea; cum repente medio noctis, ira metuque anxius expergisor. Gelidus sudor corpus omne perfuderat. Ita me Divinitas salvum velit, ut ego perinde fessus animi, fessusque membrorum eram, ac si grave durumque negotium, non somnians, sed vigilans, agitassem. Nec facile dici potest quam laetus fui, ubi sensi me thesauro simul et sollicitudine liberatum, et tantum habere quantum alit, non quantum angit; quantumque vitae sufficit, non quantum affluit quamque per somnum in ea sententia radicans sum, quam mihi vigilans persuadeo esse verissimam, scilicet, plus mali quam boni cupidis mortalibus afferre divitias. Surrexi demum hora solita -consuetudinem meam nosti- dumque, quotidianis laudibus Deo dictis, ex more manum calamo applicuissem, hoc primum, quod sopitum exercuerat sese obtulit experrecto: huius ergo sententia? Te participem facio, qui particeps somnii videbaris. Vale.

XIX Kal. Februarias ad auroram.

¹³“Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt” (Seneca De ira XXVIII) in consuetudinem proberbii venit; conferatur Phaedri fabella “Peras imposuit Iuppiter nobis duas // propriis repletam vitiis post tergum dedit // alienis ante pectus suspendit gravem. // Hac re videre nostra mala non possumus: // alii simul delinquant, censores sumus.